



## Universitätsbibliothek Paderborn


**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

I. Ad Diem, quo quis natus est mundo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



ADAUCTUS  
CONSOLATOR  
FIDELIS ANIMÆ  
SEU  
EXHORTATIUNCULÆ  
SUPERADDITÆ.

In  
Diversos dies festivos, &  
Status Personarum, omnis  
Ordinis, sexus, & ætatis.

EXHORTATIUNCULA I.  
Pro die, quô quis natus est mundo.

I.

Fili Charissime! Ubi erat ante centum annos?  
Sepultus jacuit in barathro sui nihili: Sed  
ubi modò? in statu omnis felicitatis. Animam  
dedit Deus immortalem; animam formavit De-  
us in sui imaginem, atque idæam: Quæ hæc  
felicitas? Agnoscent creaturæ cæteræ esse suum:

Hh

Quid

Quid agat homo, cui datum, quod tot millibus negatum. Fili! *Lapis de pariete clamabit*, si hodiernum nativitatis suæ diem non perenni quotannis recoluerit memoriâ.

*Instructio meritoria.*

Fiat! Et ecce modum! SSS. Trinitatis opus fuit Nativitas nostra. Gaudeamus! In recollectione mentis maneamus! Tria SS. Rosaria (Cuilibet Divinæ Personæ suum) persolvamus cum 12. actibus modestiæ, & taciturnitatis. Cum S. Brunone autem sæpius de die ad cœlum suspireremus: *O Bonitas!* *O Bonitas!* *O Bonitas!* Sit gloria Patri, qui me creavit! Sit gloria Dei Filio, qui me redemit, & vocavit! Sit & Spiritui Sancto, qui me sanctificavit. Amen.

II.

**O** Amandissime! Quale esse accepit hodie de manu Dei? Profectò omnium nobilissimum, te faciendò hominem perfectissimum. Congregavit in te id omne, quod est partitus inter creaturas cæteras. Dedit tibi esse cum cœlo, astris, atque elementis. Quid autem agit cœlum? Quid astra, & elementa respectu Dei? Noli vinci eorum promptitudine! Noli ab inanimatis!

*Instructio meritoria.*

Ter dicamus Canticum Danielis: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Et illud frequenter nobiscum repetamus suspiciendò cœlum: *O quam sordet mihi terra, dum cœlum afficio!* Jungamus quoque tres actus mortificationis

tionis tam in oculis, quām gustu exercēdos.  
Non cibis, non vanitatibus, sed Deo nati su-  
mus. Valeant cætera!

## III.

**E**T ad quid ô fili ! tam nobilis nativitas vobis?  
Ad quid anima immortalis ? Audite cœli!  
Et obstupefcite ! Creavit Deus hominem, ut  
homo totum æternaliter possideret Deum.  
Quanta inde diabolo invidia ! homini servatus  
in cœlo thronus, quō ille excidit æternū mī-  
ser. Cavendum, ne & nos præcipitet. Quo-  
modo ? In nihilo superbiendō : Creaturis abu-  
tendō : Intellectu, & voluntate Deum dimit-  
tendō. Heu ingratitudinem mille infernis dig-  
nam.

*Instructio meritoria.*

Transigamus ergo dies ac noctes ardentissimis  
affectionibūs beneficium Creationis rememorandō.  
Et quia nati in Romana Ecclesia ; quia à tam piis  
parentibūs educati, tot naturæ, & gratiæ do-  
nīs ditati, per reliquum vitæ decursum quoti-  
die à manè, & nocte cantemus *Te Deum Lauda-*  
*mus &c.* Cum duodecim osculis terræ, quorum  
clausula : *Benedicamus Patrem in sua Omnipo-*  
*tentia, Christum JESUM in sua Sapientia, &*  
*Spiritum sanctum in sua infinita Bonitate, &*  
*Providentia.* Fili ! Quid si integrā devotionis  
institueremus Octavam ? ampliora meruit gra-  
tia tanta !